Kromer Marcin.
de Christi Iesu triumpho carmen
Cracoviae, 1541. ap. H. Vietore

1



MARTINI CRO-MERI BECZENSIS DE SPLEN-didissimo Christi Iesu triumpho carmen.



ORNATISSIMO VIRO DOMINO Nicolao Lutomirski Telonæ Cracouiensi Martinus Cromerus. S. D.

SCitum cumprimis & elegans est illud, vir ornatissime, q̄ poetę tres esse gratias fabulantes, vnam auersam, duas nos inspectantes effinxeruut, admonentes nimirum, Grati esse animi, duplam pro accepto beneficio gratiam referre. At ego, tot tantisq; abs te affectus beneficijs, ornatissime Lutomirski, tantū abest vt id prestare valeam, vt vix minimam partem tuorum in me beneficiorum æquare possim. Hæc cum ita se habeant, tamen illud mihi faciendum esse visum est, quo animum tui obseruātissimum tibi declararem. Cuius rei occasionem, non ineptam, mea quidem sententia, oblatam mihi esse ratus sum, si hoc carmen de splendidissimo Christi Ieso triumpho, vnius fere diei opus, tuis auspicijs in lucem ederem. Nam cum in dandis xenijs magnopere danda sit opera, vt, quid cuiq; aptissimum sit, spectemus. Quid aptius, quid conuenientius inuenire potuissem, quam vt bonarum literarum strenuum sectatorem, magnumq; studiosorum amatorem, & patronum cartaceo munusculo donarem, Tu itaq; serena fronte hunc libellum accipies in presentia, Cromerumq; solito fauore & beneuolentia complecteris, qui te cupit quam diutissime valere.

Cracouię pridie Idus Apriles.

M. D. XXXIII.

MARTINI CRO- MERI BECZENSIS DE SPLEN- didiſſimo Chriſti Ieſu triumpho carmen.

CHriſte decus mundi, rerumq; autorq;, ſaluſq;,
Quo ſine mẽs friget cœcis adoperta tenebris,
Da facilem curſum, cœptis fœlicibus adſis,
Nam tua facta cano, celebremq; ex hoſte triumphum.
Iam ſcelerata cohors trucibus ſaciata benigni
Supplicijs Chriſti, ſacro polluta cruore,
Seruatore ſuo crudeli morte perempto,
Mutanda ęterno peragebat gaudia luctu.
Sed tamen occiſi vitę ſibi conſcia regis,
Illius ad tumulum poſitis cuſtodibus excors
Excubias ſeruat, cœli terręq; potentem
Ingenti clauſum uetituras ſurgere mole.
Nox erat, & cælo radiabant fuſca ſereno
Sidera, & exigua, pleno licet orbe, coruſcans
Luce, poli medium nocturna Diana tenebat:
Arua, homines, volucres, animantia cuncta ſilebant,
Mœſta ſui indignaq; & acerba morte parentis.
Refluxus tenuere vagos tunc ęquora mœſta,
Squalebant elementa ſuum lugentia regem,
Inq; Chaos priſcum commixta redire volebant.
Cum ſubito placidus roſeo fulgore coruſcans
Extulit e tenebris faciem ſol aureus almam,

Sol qui ſydereis curſum lumenqꝫ miniſtrat
Ignibus, & mentes ſuperum hominumqꝫ benigno
Lumine colluſtrat, vitamqꝫ & tempora donat.
Qui noua fert miſeris amiſſę munera vitę,
Victor adeſt Erebi, deuicta morte triumphans,
Lęticiamqꝫ ferens vultu, quo cuncta ſerenat.
Agmine quem lęto ſuperum comitata caterua
Spirituum, nigras niueo fulgore tenebras
Illuſtrat, placideqꝫ canens concentibus auras
Nectareis mulcet, quos non Rhodopeius Orpheus,
Nec Thamyras, nec ſaxa mouens teſtudine blanda
Fingeret Amphion, cithara nec clarus Apollo,
Non Heliconiades doctę cantare ſorores,
Vtlibet adſciſcant Veneres Charitaſqꝫ decoras.
Ac ueluti (ſi fas paruis componere magna)
Suauiſonę liquidum remigantes aera pennis
Cantellant volucres, reſonat nemus omne camœnis,
Cum ver intepuit ſolis fulgore benigno.
Sic illi plaudunt, ſic victoremqꝫ ſalutant.
Salue magne parens rerum, lux, uita, ſaluſqꝫ,
Qui regis aſtra, nutu totum qui concutis orbem.
Nate patris ſummi, cuius de lumine cuncti
Accipimus lumen, cuius, quid ſumus, almo
Numine conſilioqꝫ ſumus, qui victor ab orco
Gratus ades, caſus hominum miſeratus acerbos,
Gratus ades, per quem nobis reparata ſuperbi eſt

Luciferi iactura, noui adiunctiq; sodales.
Accipe regna patris, rosco tibi parta cruore
Sis fœlix, faueasq; choris rex optime nostris
Pone subit tetris erepta e faucibus orci,
Magna hominum, vita donata, caterua piorum,
Prēda diu stygij vinclis detenta tyranni.
Suppliciumq; luens culpę miseranda paternę,
Victoriq; canit tibijs epinicia plenis.
Mox alia est rerum facies, iam clara coruscat
Cynthia, iam fulgent hilari vaga sydera flamma,
Sol properat celeri auroram prēuertere cursu
Aer, aquæ pariter gaudent, ignisq;, solumq;,
Mitibus ęthra micat flammis, tonitruq; remugit
Innocuo, & Zephyris respirat mollibus aer,
Roreq; per grato squalentes irrigat agros.
Itq; reditq; hilarum placidis anfractibus ęquor,
Flumina decurrunt leni delata susurro,
Lęta tremit tellus, mugit, patefactaq; fundit
Fœcundo e gremio vario distincta colore
Gramina, multiplicesq; herbas, florumq; nitorem
Purpureum, & suaues affatim effundit odores.
Cernere erat volucres cœli per aperta volantes
Tempore non solito, & dulci modulamine magna
Gaudia testantes, pecudes virentibus aruis
Ludentes, minime memores somniq; cibiq;.
Quin homines etiam, quorum non obruta mansit

Mens vicijs, dictu mirum, noua pectore in imo
Quanq̃ ignota, tamen senserunt gaudia leti.
Qualia cum vincti, fatum quibus instat acerbum.
Seruātur subito, libertatemq; resumunt,
Gaudia mutato peragunt mœrore secundis.
O nox alma, die longeq; illustrior omni,
O nox letifica, o Pario signanda lapillo,
O nox solenni cultu celebranda, perennem
Qua miseris vitam mortalibus atq; salutem
Restituit victor, donans ingentia dona,
Ipse sator mundi, princeps hominūq; redemptor.
Quem nos letificis celebremus vocibus omnes
Christicole, harmonico ferientes sidera cantu,
Spargamus flores, Pancheaq; dona feramus.
Thura demus, celebres tollamus in astra triumphos,
Oscula figamus pedibus clementis Iesu,
Hisq; salutemus vite lucisq; parentem.
Salue stelliferi sapiens regnator Olympi,
Conditor Astrorum, regum rex maxime salue,
Imperium cuius senserunt infera regna,
Salue cuncti potens, salue deuictor auerni,
Salue presidium mundi pereuntis, & vna
Spesq; salusq; hominum, salue mitissime Iesu.
Tu lux cuncta tuo illustrans splendore corusco.
Tu tu confugium miseris mortalibus vnum.
Tu mortem, atq; stygis domuisti immitia regna.

Tu generi humano vitam regnũq; dedisti.
Tu nos iustificas scelerum putore fugato.
Tu patris ętherei fregisti iramq; minasq;.
Tu miseros Erebi seruos, quos culpa parentum
Primorum exitio dederat, lętoq; perenni,
Carne hominis sumpta cœlestis pignora patris,
Municipesq; poli fecisti sanguine sacro.
Euge potens victor, superato Dite triumphans.
Læticia mentes hominum perfunde benignus,
Mentibus vt lętis epinicia lęta canamus,
Nosq; e pestiferis viciorum attolle sepulchris,
Nam sine te fœtemus odore cadauera tetro.
Vincere da mundum, carnemq;, & dęmonas atros,
Qui nos mille dolis instructi, & mille nocendi
Artibus affectant socios adiungere pœnæ,
Vt tibi perpetuo læti, vitaq; fruentes
Illustrem ætherea celebremus in arce triumphum.

Finis.

In Regia vrbe Cracouiensi Hieronymus Vietor impressit. Anno dñi. M. D. XLI.